



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 30. Funesta mala ex Christianæ classis clade suborta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

fiduos Christianos in servitatem abstra- Sæcul. XVI.
herent: cum ergo Pro-Rex ob hanc A.C. 1560.
cladem animo dejectus, ac non minus
ignominia suffusus, quam dolore tactus
eoquod Aurizæ consilium secutus non
fuisset, qui noctu omnes copias ad na-
ves revocari, nullatenus vero Turcarum
adventum expectari voluit, primas eo
curas intendit, ut fuga sibi consuleret,
unde per Carvanum Califfam, necnon
per TUNETANI Regis filium efflictim Schei-
chum rogabat, ut suos milites benigne
haberet: ast hic illos adeo non exceperat,
ut ipse etiam aufugeret, atque
in montibus securitati suæ prospiceret,
veritus, ne in Turcarum manus inci-
deret.

§. XXX.

*Funesta mala ex Christianæ classis
clade suborta.*

Postea Joannes Andreas Auria unacum Thuan. l. c.
septem triremibus adversante vento
in Gerbiensis Insulæ canalem depellit-
tur, ubi Christiani uno milliari a terra
distantes in undas profiliunt, rursus
omni, quo poterant, modo in Insulam
excipientes: nonnullæ vero triremes
sequebantur Equitem Maldonatum, qui
ad Sphaxense Promontorium delatus,
in altum maris excurrit, atque incolumis
Melitam pervenit: Porro illi omnes,
Pp 2 qui

Sæcul. XVI
A. C. 1560.

qui in Insula Gerbi erant, habita inter se deliberatione consultissimum censebant, ut Pro - Rex, atque Auria Mesfinæ Portum in Sicilia attingere fatagerent, Alvarus vero Sandæus celebris Bellidux in arce remanens illam strenue tueretur: Itaque Hispani eodem adhuc vespere unacum novem minoribus navigiis vela faciebant.

Ceterum in hac expeditione a Turcis capti sunt quamplurimi, atque inter ceteros Nobiles præcipue Flaminius Anguillara Pontificiarum triremium Præfectus, Sanctius Leva Neapolitanæ classis Architalassus, Berengerius Requesenes, & Gasto Cerdæ Ducis, ac Siciliæ Pro - Regis Filius, exercitus Dux, præter Episcopum Majoricensem. Reportata hac victoria Pialis Bassa Ottomanicæ classis Præfectus mancipiis, ac præda onustus Constantinopolin reversus Draguti, qui tum Tripoli agebat, præcepit, ut Gerbim Insulam aggrederetur. Hic quantocius mandata exequens suos milites exscendere iussit, ac præprimis minora occupavit propugnacula, quæ ab Hispanis eo adventantibus prope puteos fuere erecta. Verum Sandæus, cum suorum paucos admodum in Insula numeraret, hunc Piratam excursione facta aggredi non audebat, haud consultum ratus, militum suo-

fuorum vitam ancipiti forti exponere, præcipue cum de suppetiis proxime submittendis haud dubitare posset, eoquod ab hujus Insulæ conservatione totam rei summam dependere, Hispanis sat perspectum esset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

§. XXXI.

Gerbis Insula a Dragute obsessa.

Attamen puteorum jactura obsessis oppido funesta erat, eoquod diutius salubri aqua destituti, donec cisternæ pluviis copiose cadentibus replerentur, expectare cogentur: interea autem æstivis caloribus indies magis excrescentibus obsessi sæva siti cruciabantur, tantaque erat aquæ penuria, ut ea auri pondere venderetur: nihilominus quoddam miseris levamen afferebat quidam Sículus, nomine Sebastianus Pollira, qui ingenioso distillationis artificio falsam maris aquam in dulcem convertere noverat. Attamen aucta aquæ penuria plures sitis vehementiæ ulterius resistendo impares pulveri pyrio ignem subjicere, arcemque uno impetu disicere decreverunt, ut sese a calamitatum, quibus pene conficiebantur, diuturnitate saltem subitæ mortis beneficio liberarent.